

ipsum concedere videtur in epist. ad Hebr. cap. vi. lect 3. ut etiam aperte concedit S. Bonaventura, in 2. sentent. distinct. 28. explicans verba Petri Lombardi. Et certe non desunt optimæ rationes, quibus id probari posse videatur. Nam in II. lib. Paralipom. cap. XIX. dictum est ad Josaphat regem Juda: *Impio præbes auxilium et his qui oderunt Dominum, amicitia jungeris, et ideo, iram Domini merebaris, sed bona opera inventa sunt in te etc.* (1). Ex quo intelligimus sanctum illum regem bonis operibus apud Deum obtinuisse, ut etiam cum peccaret, a Deo non desereretur, nec pro meritis puniretur. Item in Psal. LXX. orat Propheta, quod nos etiam orare convenit: *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Et certe frustra fieret talis oratio, si nulla ei respondere posset impetratio.

Adhæc, si potest justus mereri de congruo, id est, impetrare alteri conversionem, cur non et ipse sibi postulare et impetrare possit, ut si labatur non deseratur, sed ad pœnitentiam revocecur?

Præterea, potest homo nondum reconciliatus per opera pœnitentiæ impetrare et mereri ex congruo gratiam justificationis, ut in I. lib. demonstratum est, cur igitur non poterit idem ipse, dum est justus et amicus Dei impetrare et mereri ex congruo reparationem, si forte labatur?

(1) II Par. XIX, 2. — (2) Psal. CLXX, 9.

Neque objectio illa convincit, per peccatum amittuntur omnia merita præcedentia, igitur fieri non potest, ut reparatio post lapsum bonis meritis ulla ratione reddatur. Nam probat quidem hoc argumentum, reparationem non posse esse mercedem, quæ sit reddenda ex justitia. Qui enim amisit omnia merita, quomodo potest ex justitia postulare mercedem? At non probat non esse congruens, ut Deus respiciat ex clementia sua ad bona opera præcedentia, et illorum intuitu misereatur ejus qui cecidit.

At (inquies) quo quis plura merita habuit, eo gravius Deum offendit, cum peccat. Quoniam merita nostra munera Dei sunt, et qui plura beneficia accepit, si benefactorem offendat, magis est ingratus, et minus dignus indulgentia. Respondeo: argumentum recte concludit adversus eos, qui ex malitia et contempu benefactoris peccant; at non adversus eos, qui ex ignorantia et infirmitate delinquant. De quibus nos tantum loquimur. Quare sanctus Thomas in 2. 2. questione 186. artic. 10 docet, peccata religiosorum, etiam mortalia, sed ex ignorantia, vel infirmitate commissa minus, esse gravia, et facilius codonari, quam aliorum hominum, propter bona opera, quæ religiosi assidue faciunt.

DECIMÆ QUARTÆ CONTROVERSIE GENERALIS

DE

REPARATIONE GRATIÆ

TERTIA ET ULTIMA CONTROVERSIA PRINCIPALIS

DE BONIS OPERIBUS

IN PARTICULARI

QUINQUE LIBRIS EXPLICATA

ORDO DISPUTATIONIS
DECIME QUARTE CONTROVERSIE GENERALIS

REPARATIONE GRATIAE

DE BONIS OPERIBUS

IN PARTICULARI

QUINQUE LIBRIS EXPLICATA

ORDO DISPUTATIONIS

Postrema restat Controversia ex tribus illis, quas de reparatione gratiæ tractandas esse diximus : ea vero est de bonis operibus in particulari, et tribus libris continetur, quorum *primus* erit de oratione, *secundus* de jejunio, *tertius* de eleemosyna. Tot enim esse præcipua genera operum bonorum, testatur angelus Raphael apud Tobiam, cap. xii : Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere.
